MASTER
NEGATIVE
NO. 92-80514-18

AUTHOR:

BEHNCKE, GUSTAV

TITLE:

DE CICERONE EPICURE-
ORUM PHILOSOPHIAE...

PLACE:

BERLIN

DATE:

1879

Master Negative #

92-80514-18

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Behncke, Gustav
...De Cicerone Epicureorum philosophiae existimatore et judice. Berlin, A. W. Hayn, [1879]
24 p. 25 cm.

Jahres-bericht über die vereinigten anstalten des Königl. Friedrich-Wilhelms-gymnasiums, der Königl. realschule und der Königl. vorschule zu Berlin.
Vol. of theses.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 13½x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 3-27-92 INITIALS M.DC
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

no 2

JAHRES-BERICHT

über die

vereinigten Anstalten

des Königl. Friedrich-Wilhelms-Gymnasiums, der Königl. Realschule und der Königl. Vorschule zu Berlin,

womit zu den

am 4. April 1879

stattfindenden

öffentlichen Prüfungen

ehrerbietigst einladet

der Director

Dr. Hermann Kern.

Voran geht eine Abhandlung des Oberlehrers Dr. Gustav Behncke: De Cicerone Epicureorum philosophiae existimatore et judice.

BERLIN.
Druck von A. W. Hayn's Erben.
(C. Hayn, Hof-Buchdrucker.)

1879. Progr. No. 50.

De Cicerone Epicureorum philosophiae existimatore et judice.

Cicero quamquam in philosophiae studio et pertractatione paene totus erat alienus et ea quidem, quae hoc in genere literis mandavit, fere omnia ex Graecorum fontibus haurire solebat, tamen certae cuidam unius, cujus in verba juraret, philosophi disciplinae se addictum et consecratum noluit, sed quae quaque ex ratione sibi maxime placerent probarenturque, haec sibi assumenda esse et una quadam cuicuimodi posset ratione constringenda existimavit. Quare propriam aliquam philosophiam si quis Ciceronem invenisse putarit, hanc nihil nisi variorum ac saepe etiam repugnantium inter se philosophorum qui apud Graecos exstiterant, tamquam congregationem ac reconciliationem spectasse non immerito statuerit. Tamen in hac quidem, ut ita dicam, critica deligendi ac consociandi consuetudine ille unum philosophorum genus ex ceterorum societate semper explosit, Epicurum eamque, quae ab eo profecta erat, scholam.

Atque in ceteris quidem quamvis multa vituperanda et rejicienda censeret, tamen plura etiam admiranda et tenenda agnovit. Abhorruit ab illa Stoicorum absurda doctrina, qua inter peccata cujusvis generis nihil interesse omnesque, qui vel errarent vel delinquerent, pari modo miseros esse arbitrarentur; tamen eosdem, quia virtutem ad beate vivendum se ipsa esse contentam statuissent, num unquam desiit praedicare? Castigavit, quia in definiendis bonis rebus eam, quae necessaria esset atque hominis ingenio animoque digna, simplicitatem et severitatem haud plane servassent, Peripateticos; tamen eorundem, quid suavius, quid placatius, quid humanius Ciceroni visum est, quam de naturae bonis et existimandis et fruendis praecepta? Perturbatricem omnium rerum Academiam recentem appellavit, tamen propter disserendi modestiam, constantiam, elegantiam nonne omnibus praeposuit Academicos? At uni illi Epicuro omni ex parte aditu ad persuadendum sibi interdixit neque ea, quae sibi probabilia viderentur in moribus, in rerum natura, in dialecticis pervestigandis, augendi, minuendi, confirmandi, moderandi ullam dedit potestatem. Atque profecto si dedisset, vix quidquam fuisset mirabilius Ciceronisque a natura alienius! Neque enim ulla erat pars philosophiae, ulla vitae degendae ratio, in quibus judicandis ne dicam inter se consentirent, sed vel ab eisdem principiis ordirentur vel ad eundem exitum spectarent. Ac Cicero quidem toto animo deditus erat rei publicae, nullam aut honestiorem aut utiliorem aut delectationum pleniorem aut denique hominis opera consilioque digniorem occupationem esse judicabat quam rerum civilium studium atque curam. Itaque quum, quoad vires ipsius ac

civium voluntates suppeditabant, suae civitati inserviret nec quidquam antiquius duceret, quam ut illam servare ac tueri vel potius in pristinum severae ac justae disciplinae statum restituere conaretur, nunquam ipse nisi conditione temporum aut offensionibus popularium repressus sua beneficia in rem publicam conferre destitit; philosophiae autem tantum tribuit, quantum tribuere ex intermissa rerum publicarum procuratione sibi, qui quidem paene invitus esset otiosus, licere putaret; ceterum Stoicorum rationem secutus est, qui, nisi si quid intervenisset, sapientem rem publicam capessere decere et oportere docerent. At Epicurei nisi si quid intervenisset, sapientis vitam in rebus civilibus versari debere negabant; in ipsa civitate, cujus cives erant, tamquam peregrinabantur, e foro publicisque deliberationibus in hortulos suos facessebant, ex communi omnium societate ultro exclusi suis amicorum circulis circumsaepiebantur. Jam vero in rerum divinarum contemplatione et aestimatione quantum intererat inter Epicurum et Ciceronem! Nam hic quidem quaecunque in re publica cum spe diuturnitatis et sanctitatis institui vellent homines, in deorum cultu et religionis auctoritate ut in firmissimo fundamento esse collocanda, omnes autem, quae a civitatibus essent sapienter excogitatae, leges atque institutiones divinae sapientiae esse tamquam imagines persuasum habuit; deorum enim ipsorum mente atque ratione omnem mundum administrari regique, hominum vitae consuli et provideri; qua cura nihil, quod aut esset aut cogitari posset, vacare. Epicurus contra malorum superstitionumque, quibus homines vexarentur, maximam partem ex religionibus in eorum coetus emanasse censuerat, deos vero e mundo remotos in illis intermundiorum regionibus reposuerat, ubi nihil haberent negotii, nedum res humanas curarent. Deinde in ethicis Cicero iis potissimum se applicare solebat, qui summum bonum in virtute propter se ipsam expetenda ponerent omnemque vitae felicitatem ex ea aptam esse putarent. At Epicurus ea, quam de moribus instituendis invenerat, doctrina quum ceterorum philosophorum repugnabat praeceptis, tum Ciceroni quidem omni agendi ratione ex voluptate repetita virtutem ipsam radicitus evertisse videbatur. Quid dicam de Ciceronis artium literarumque studio? quo unus omnium suae aetatis maxime florebat, ad quod tanto omnis humanitatis ac doctrinae complectendae ardore ferebatur, ut hac in re non solum suae gentis indolis dissimilis sed, ne Graecorum quidem cuiquam, illo certe tempore, impar esse videretur. Quid vero de ejusdem divina quadam dicendi et disserendi perfectione? quae tanta in eo fuit, ut omnium rerum magnarum atque artium scientia instructus atque ornatus quum ad animos mediocrium hominum accommodate ac diserte dicere posset, tum apud homines politiore elegantia praestantes, quaecunque erant explicanda et quae explicare libebat, eloquenter, graviter, sapienter disserere atque ornare. Epicuro contra earum, quae vulgo laudantur, artium doctrinarumque contemptionem quis traditur liberius, quis consideratius prae se tulisse? Eodem omnem ejusmodi, quam ad jucunde, tranquille, beate vivendum nihil valere judicaret, scientiam quis unquam minoris aestimavit? In dialecticas autem et oratorias exercitationes mirum quam infenso animo invehi solebat; nam omnino disputabat nullam esse artem nec disserendi nec dicendi atque eos, qui in tantulas nugas discendas incumberent, non solum, quia ipsi tempus tererent nihil proficientes, despiciendos, sed etiam quia fallaciarum atque captionum essent artifices machinatoresque, ex insipientium hominum usu intercludendos censebat. At quo minoris ponderis reliqua scientiae genera esse existimavit, eo pluris fecit physica nec quicquam iis habuit praestabilius et ad sapientiam comparandam aptius. Quin etiam universam, quam ipse quidem profitebatur, philosophiam nonne naturae quandam percep-

tionem esse ratione comprehensam (φυσιολογίαν) jactasse dicitur? Quo nomine quid aliud voluit significare, nisi singulas quasque philosophandi partes instituendas esse ab naturalium rerum cognitione et rursus ad earundem convenientiam redigendas. At Cicero ecquid contulit in hoc genus doctrinae? Immo istarum rerum complexione suo jure sibi supersedere videbatur, quippe quas quidem latere tamque crassis, quas nulla acies humani ingenii perspicere aut distrahere posset, tenebris circumfusas esse opinaretur. Quare si quis sibi se in illam naturae obscuritatem penetraturum esse persuasisset, eum pernicioso errore inflatum esse arbitrabatur.

Quid multa? Videmus fere, quidquid in duorum illorum de rebus humanis et divinis judicio erat discrepantiae, id quale et quantum fuerit. Neuter dici potest ullum, quo una cum altero staret, locum habuisse. Etenim in omnibus rebus ponderandis deligendisque, sive causis, ex quibus hominum vel sentiendi vel agendi rationes proficiscerentur necesse esset, sive bonis, quas vitam sapientis vel sustentare vel ornare oporteret, prorsus inter se dissidebant; omnia, quae alteriutri a natura ipsa proposita esse videbantur ad optandum et desiderandum, ad vitandum et fugiendum — quae quidem uterque neminem, qui sibi ipsi notus esset atque suam naturam suumque sensum perspexisset, nescire putabat — haec omnia igitur alteri non probabantur, et si quando quid erat, ad quod utriusque sententiae convenirent, tamen argumenta, quibus quisque nitebatur, tam dissimilia, principia ipsa, ex quibus quisque id, quod sentiebat, duci volebat, tam contraria erant, ut, quantum alter ab altero dissenserit, ex hac ipsa dispari argumentandi et confirmandi ratione interdum clarius eluceat quam ex singulorum cujusque decretorum differentia.

Quae quum ita sint, nulla est causa, cur Ciceronem Epicuri disciplinae implacabili quodam odio institisse nullamque ejus vexandi occasionem praetermisisse miremur. Nam ut, quod quisque maxime adamavit, id cuique diligentissime colere, animo complecti, oratione defendere licere aequum est, sic, quod idem ea, quae a sua natura abhorrere sentiat, repudiet et ab suis tamquam penatibus rejiciat, quis jure vituperet? Tamen vereor, ne Cicero in reprehendenda Epicureorum schola acrior et acerbior fuerit quam verior et justior. Etenim communi quodam hominum vitio accidere solet, ut difficile sit eum, cujus rationem animique habitum plane averseris, tali modo aestumare, ut nunquam ex tua invidia tuaque ingenii diversitate aliquid influere sinas in judicii subtilitatem et aequitatem, ut, dum causa agitur, judicis, ut par est, non accusatoris munere fungi videare. Atque Cicero quidem in duplici videtur esse culpa: una ad id redit, quod in illo communium vitiorum genere esse dixi, altera ex eo exstitit, quod, quamvis sapientiae studio flagraret, tamen philosophandi artem nunquam eorum instar exercuerat, qui eam profitentur in eaque ipsa quasi in nativo sui ingenii domicilio habitant. Nam vix pueritia egressus patris prudentia adductus erat ad philosophiam, ut dialecticis exercitationibus facultatem dicendi expoliret et amplificaret, postea aetatis flexu suo ipse arbitratu hocce studium recoluerat, quo animum ex tempestatibus civilibus domesticisque casibus relaxaret et consolaretur. Semper igitur philosophia delectari, doceri, sustentari maluerat quam ipse de difficillimis, quae ad extremos atque reconditissimos humanae scientiae fontes redirent quaestionibus, disceptare et dijudicare. Talis vir quamvis honestus et laudabilis esset, num aptissimus fuerit, qui cum alicujus philosophi ratione ac doctrina, ut ita dicam, lege ageret, mea quidem sententia admodum dubitandum est. Dixerit forsitan quispiam: Quid? Quoniam critici cujusque est cavere, ne in judicando ea, quae in judicium veniunt, ad unum sui ipsius animi sensum consentanea esse velit, sed ut, quam maxime poterit, omnem

quaestionem ad generis ipsius, de quo judicandum est, naturam revocet: ille ipse Cicero propterea maxime, quod propria aliqua philosophiae forma instituenda abstinuit, quid negotii ei futurum esset, qui de quolibet philosopho sine ira et studio vellet existimare, nonne optime scivisse videatur? Habet haec quidem sententia aliquid probabile. Tamen, qui, quae essent primae causae extremaque principia, ex quibus singulae quaeque sententiae nascerentur necesse esset, in philosophando ipse fere nunquam quaesierit, sed potius, quid ex considerandi et cognoscendi opera redundaret ad vitae usum et conformationem, id plerumque spectarit, eum ne aliorum quidem philosophorum summas, quae fuerint et quales, rationes satis perspectas habere posse equidem nescio an probabilius ac paene pro certo putandum sit. Ciceroni quidem interdum acciderunt, quae in tali causa, si Epicureorum dignitatem ponderandam suscepisset, exspectanda erant. Neque enim veram et perfectam expressit adversariorum effigiem sed saepe obumbratam veri et falsi confusione, extremis, quibus Epicurea doctrina continebatur, finibus certe minime circumscriptam.

Attamen Ciceroni soli tantum abest, ut ea, quae in Epicureis existimandis non praestitit, imponamus, ut omnes fere ejus aequales in eadem causa, totam autem illorum temporum conditionem ad hanc materiam tractandam parum idoneam fuisse arbitremur. Nihil interest id temporis magnum apud Romanos fuisse Epicureorum gregem, qui, quum magis sua voluptaria natura allecti quam accurata illius doctrinae cognitione permoti (cf. in Pis. or. 68 et 69) ea Epicuri decreta, quae in vulgus prodibant, quatenus ipsorum libidines juvare et excusare videbantur, comprobarent, sine dubio ut mali asseclae auctoritati ac dignitati totius sectae plus detrahebant quam addebant. Nec multo pluris aestimandi sunt eorundem doctores, qui paullo ante Ciceronis aetatem exstiterant, qui, ut hic (Fin. I, 8) judicat, de malis Graecis Latine scripserant deterius. Itaque hos, si quidem Ciceroni (Tusc. II, 8), quem unum harum rerum auctorem habemus, confidere licet, illam, quam modo dixi, catervam hominum commovisse atque attraxisse, sed ab aditu ad ingeniosorum hominum et eruditorum circulos prohibitos fuisse, si statuemus, vix errabimus. Maximum vero argumentum hoc afferri videtur, cur hanc doctrinam tunc a paucis tantum exploratam et intellectam fuisse putemus, quod T. Lucretius Carus, quo neminem haec schola invenit auctorem atque praeconem grandiorem, quoad vixit, apud populares suos fere neglectus est nullaque fuit auctoritate. Adeo illorum temporum literatorum hominum mentem imbuerat haec opinio, eos libros, qui Epicuri placita redolerent, doctissimi cujusque et optimi studio esse indignos. Fuerit sane Lucretius, ut ait Quinctilianus (X, 1, 87) aequalibus suis, quippe qui rerum naturalium parum periti essent iidemque hujus scientiae parum studiosi, difficilis ad intelligendum. Nobis quidem haec res documento manifesto est, illud saeculum praeter hunc neminem Romanum tulisse satis aptum et praeparatum, qui Epicuri rationem in rerum naturae cognitione, cuicuimodi erat, funditus nixam perspiceret. Cui rei id quoque plane consentaneum videtur esse, quod Cicero, locupletissimus illorum animorum temporumque interpres, ad Quintum fratrem (II, 11, 4) scribit: „Lucretii carmina ut scribis ita sunt; multis luminibus ingenii, multae etiam artis, sed cum ad umbilicum veneris, virum te putabo, si Sallustii Empedoclea legeris, hominem non putabo.“

Sed haec hactenus. Jam spectandus est Cicero ex universa, qua in Epicurum ejusque discipulos utitur, ratione. Quo loco Zellero, acutissimo veterum philosophiae historiae indagatori, qui illum hac in re magis oratoris quam philosophi personam agere censet, non possum facere, quin adsentiar. Etenim nihil nisi Ciceronis dicendi genus, si huic quidem res est cum Epicureis,

respiciens saepius alicui forensi contentioni quam disputationi de rebus placatis ac minime turbulentis molli et umbratili interesse tibi videare; tantus est verborum strepitus, tanta facetiarum, irrisionum, probrorum, contumeliarum, omnium denique aculeorum, qui feruntur oratoriorum copia, ut eum lectores non tam docere, quam eodem, quo ipse flagrat, odio in eos, quos suis praeceptis blandis omnem honestatem extincturos esse existimet, inflammare sibi proposuisse appareat. Neque Epicurum ipsum fere unquam commemorat nisi illudens aut objurgans, ut Fin. II, 49: „Philosophus nobilis, a quo non solum Graecia et Italia, sed etiam omnis barbaria commota est“; Tusc. V, 73: „Induit tantummodo personam philosophi“; N. D. II, 46: „homo non aptissimus ad jocandum minimeque resipiens patriam“; Fat. 38: „O admirabilem licentiam et miserabilem inscientiam disserendi.“*) Longum est enumerare, quam saepe Epicurum doctrina atque acumine carere contendat. Ceterum quod ad istam doctrinae inopiam attinet, quibus ex causis ille quaedam artium genera e sapientis studio exemta voluerit, perbreviter quidem jam supra attigimus. Verumtamen quod Cicero eo despicientiae ferebatur, ut eos, quia quum multa alia tum maxime hoc, quam subtiliter a Platone ex natura animi principium movendi in se ipso habentis animi aeternitas concluderetur, nunquam intellecturi essent, quasi capite deminueret et in „plebejorum minutorumque“ philosophorum numerum detruderet (Div. I, 62; Tusc. I, 55), quaeritur, quos imprimis ex Epicureis tanta ignominia afficere voluerit. Atque Epicurum quidem ipsum, totius disciplinae inventorem, ab Cicerone dictum esse vix opus est explicare. Sed qui ipsius aetate fuerunt Epicurei, utrum eos omnes castigare in animo habuerit an solos Latinos, hoc minus facile expediatur. Si Latinos tantummodo, vix quicquam est, quod miremur aut quod contra pugnemus. Fuerint enim horum libri parum bene scripti et exigua dicendi et disputandi arte, certe ad doctiores homines raro admissi sunt. Quos libros si Cicero quoque aversabatur, quippe quorum auctores ipsi se non multum operae nec in perpolitione orationis nec in elegantia disputationis consumpsisse faterentur, hoc suo jure fecit. Nam alicujus delectationis exspectatio prima est causa et, ut ita dicam, privata, qua ad legendum aliquid trahimur; quae si deest, quod legendo abstineamus, quis sine injuria reprehendat? Quamquam caveas, ne hac in re aequo promptior sis ad Ciceronem probandum. Aliud enim est, quod tua causa ac privatim judices et agas, aliud, quod scribas et prodire sinas. Atque hac quidem in causa erat Cicero. Illorum Latinorum lectionem, ut ipse aperte dicit,**) neglexerat; tamen non verebatur, de iis, quos non cognoverat, judicare judicataque edere. Apparet eum quidem judicandi ratione opinionem literis eruditorum hominum communem ratamque habitam secutum esse et quia Graecorum Epicureorum praecepta

*) Haec verba pertinent ad eam sententiam a Cicerone in vitiorum Epicuri numero habitam, quod hic inter contrarias dijunctiones alteram utram veram esse debere negaverat. Sed C. immerito irascitur, quum ipse erret. Epicurum parum intellexit. Neque enim E. in rebus, quae essent, cognoscendis certissimum illud contradictionis principium sustulerat, sed in iis, quae futurae essent, divinandis. Si enim ex duobus contrariis, quae fieri possent, utrum futurum esset, quaereretur, tum disceptandi potestatem non dandam censuerat, quia, priusquam alterum utrum re vera accidisset, de neutro posset enuntiari. Nam ab futuris rebus nullas posse intrare imagines nec in sensus nec in animum. Conferas Zeller: Die Philosophie der Griechen, tom. III 1. pag. 391.

**) Tusc. II, 7: Est enim quoddam genus eorum, qui se philosophos appellari volunt, quorum dicuntur esse Latini sane multi libri: quos non contemno equidem, quippe quos nunquam legerim: sed quia profitentur ipsi illi, qui eos scribunt, se neque distincte neque distribute neque eleganter neque ornate scribere, lectionem sine ulla delectatione neglego. Quid enim dicant et quid sentiant ii, qui sunt ab ea disciplina, nunc ne mediocriter quidem doctus ignorat.

pervulgata nec ullo modo ab Latinis aucta aut emendata esse persuasum haberet, ab his legendis abstinuisse. Tamen levitatis cujusdam crimine non omnino potest absolvi. At vero si illud „plebeji minutique“ etiam ad Graecos homines, qui tunc vel Athenis vel Romae Epicuri philosophiam profitebantur, referri voluit, quod vix dubium est, tum hercle quam incredibili vel levitate vel injustitia se gessit! Audierat Phaedrum, hominem, ut ipse concedit (N. D. I, 93), elegantissimum et humanissimum; audierat Zenonem, quem Philo Academicus appellare solitus erat Epicureorum coryphaeum, quem ipse non ut alios Epicureos, sed distincte, graviter, ornate disputasse (N. D. I, 59) non dissimulat; legerat aliorum auctorum, imprimis Philodemi, ut videtur, libros lectosque excerpserat — quamquam igitur cognitam habuit illam doctrinam ab optimis et nobilissimis sui temporis interpretibus, tamen hos omnes caeco quodam impetu facto promiscuos in eorum ordinem deprimit, quos vulgi intelligentiam atque eruditionem superasse negat.

Restat, ut ea, quae Cicero Epicureis maxime exprobranda esse censeat, percurramus. Sed breviter fiat; nam finem faciamus necesse est hujus disputationis primordii. Itaque omnia in uno quasi conspectu ponere liceat. Sunt praecipue quatuor quaedam, ut ita dicam, querimoniae, quae ex omnibus Ciceronianis scriptis, quatenus ad Epicureos pertinent, resonare solent: Epicurei religionem, si minus nomine, at re sustulerunt; laude voluptatis virtutem obruerunt; constantiam elegantiamque in cogitando et disputando non observarunt; pleraque decreta ab alienis mutuati sunt, aut ab Aristippo aut ab Democrito; quae ipsis exciderunt, acceptis non emendationi, sed depravationi fuerunt. Sed de his mox viderimus. Satis est ea, ad quae omnes Ciceronis adversus illos disputationes spectent, significasse.

Hoc unum autem dicatur oportet. De Ciceronis constantia atque perpetuitate, num in philosophicis rebus ipse praestiterit, si exquiras, nonnunquam accidat, ut id, quod in Graecis istis hominibus desideravit, ab ipso critico nostro miro quodam modo non esse observatum concedendum sit. Concurrunt satis multa, quae huc pertinent, exempla, sed duo quaedam admirabiliora sunt propiusque ad Epicureorum causam accedunt, quam quae praeterierim. Ac primum quidem (Tusc. I, 30) omnium gentium tacita quadam consensione, quae lex naturae putanda sit, effici exponit, ut nemo sit, quem deorum opinio non imbuerit, atque hoc quidem argumentum, cur deos esse credamus, omnibus ceteris praefert. Sed quid dicemus, si eundem in alio libro (N. D. I, 62) hanc rationem satis firmam esse negantem deprehendemus, et ita quidem negantem, ut neque quid gentes opinentur, explorari posse et multas, apud quas nulla deorum suspicio sit, esse arbitretur? Nam quod quis opponat, Ciceronem non suo nomine loqui, sed Cottam atque hunc quidem Academicum, quem nihil ne firmissimum quidem concedere par sit, disputantem facere, id quamvis verum sit, tamen hoc loco nihil attinet neque Ciceronem ipsum ea culpa liberat, quod gravissimam rem ludibrio habuit. Nam liceat de levioribus quaestionibus, quae quomodo disceptentur, nihil interest, dissimulare: at eas, quas ipse tanti momenti esse cognoveris, ut in iis omnis hominum felicitas et dignitas positae esse videantur, dubitationi objicere, hoc ejus hominis est, qui aut ipse sibi non constet aut eos, quos docere debet, tenebris stultitiae offundere studeat. Nec alterum, quod hoc in genere admisit, peccatum levius est. Idem enim, quem modo commemoravimus, Cotta, postquam (N. D. I, 85) se iis, quibus Epicurus, ne in offensionem Atheniensium caderet, verbo reliquisse deos, re sustulisse videretur, consentire negavit: paullo post eodem in libro (l. l. 123), quasi illud judicium nolenti exciderit, nullos esse deos Epicuro videri, quaeque is

de diis immortalibus dixerit, eundem invidiae detestandae gratia dixisse contendit, hercle etiam pro Academico parum sibi constans nimiumque nutans, ut eum subito personam cum Posidonio Stoico permutasse crederes. Quod utrum Ciceronis inconstantiae tribuendum sit an negligentiae ac celeritati in scribendo, equidem nescio, certe vitium est et ejusmodi, ut, quem adeo labi posse perspexeris, cavendum sit, ne nimiam habeas fidem, eundem, quamvis magno fuerit incensus ardore veritatis cognoscendae et pronuntiandae, aptum fuisse, qui se ad extrema principia Epicuri conferret atque ea accurate exploraret diligenterque secum consideraret.

Verumtamen jam satis multa sunt allata, quae, qualis fuisset Ciceroni ratio ac causa cum Epicuri disciplina, generatim et universe definirent. Nunc ea, quae supra posuimus, certis quibusdam et exemplis illustranda et argumentis confirmanda suscipiamus. Ita autem hoc in munere, quod nobis proposuimus, versabimur, ut, quantum inter Ciceronem et Epicurum interfuerit, quum maxime in ethicis rebus cernatur, ad has quidem summam commentationis nostrae partem referamus.

Inter eos, qui ad ethicas quaestiones pertinent, Ciceronis libros sine ulla dubitatione primum locum obtinent disputationes de finibus bonorum et malorum institutae, non quo ceteris multo diligentius elaboratae atque perpolitae sint vel ubertate locorum quorundam antiquae philosophiae ab nullo auctore nisi a Cicerone tractatorum nostraeque memoriae traditorum excellant, sed quia ad ea, quae ibi docentur et praecipiuntur, tamquam ad fontes referenda est universa Ciceronis de recte beateque vivendo doctrina. Nam quidquid quis aut bonis ex rebus maxime expetendum esse aut ex malis maxime fugiendum existimabit, si optimam vitae institutionem excogitandam et describendam suscipiet, facere non poterit, quin, si quaeretur, quid aut turpe sit aut honestum, vel quid hominem aut beatissimum aut miserrimum efficiat, sui judicii, qualecunque erit, argumenta rationesque depromat ex eo ispo, quod de summo bono et malo statuerit. Ac Cicero quidem, haec arctissima utriusque illius rei connexio ad ethices naturam perspiciendam quam necessaria esset et consentanea, ipse sensit atque lucidis verbis expressit. Initio enim libri de divinatione secundi (§ 2) finibus bonorum et malorum constitutis fundamentum philosophiae praeclare jactum esse dicit; quam eandem rem uberius exponit Fin. V, 15: „Facit.... prudenter, qui audire de summo bono potissimum velit; hoc enim constituto in philosophia, constituta sunt omnia. Nam ceteris in rebus sive praetermissum sive ignoratum est quidpiam, non plus incommodi est, quam quanti quaeque earum rerum est, in quibus neglectum est aliquid; summum autem bonum si ignoretur, vivendi rationem ignorari necesse est; ex quo tantus error consequitur, ut, quem in portum se recipiant, scire non possint. Cognitis autem rerum finibus, cum intelligitur, quid sit et bonorum extremum et malorum, inventa vitae via est conformatioque omnium officiorum, cum exigitur, quo quidque referatur; ex quo, id quod omnes expetunt, beate vivendi ratio inveniri et comparari potest.“ *) Merito igitur hujus praecepti recordatione ductus in disputationibus Tusculanis, quae medicina adversus quamlibet vitae humanae miseriam adhibenda sit, quum exponit, nullam offert nisi ex eo, quod extremum vitae esse persuasum habet, haustam eoque

*) Conferas cum his ea quae scripsit Schopenhauer, die beiden Grundprobleme der Ethik p. 136: „Das eigentliche Fundament der Ethik, welches man, wie den Stein der Weisen, seit Jahrtausenden sucht, ist das *διότι* der Tugend, der **Grund** jeder Verpflichtung oder Anempfehlung oder Belobung, er mag nun in der Natur des Menschen oder in äusseren Weltverhältnissen oder worin sonst gesucht werden.“

quasi tinctam, omnesque hominum dolores contineri demonstrat ejusmodi opinionibus, quae finium illorum intelligentia careant et vanas futilesque res, quasi sempiternae sint et felicitatis effectrices, praeter ceteras complectantur. Nec aliter Cicero, si eo libro, qui inscribitur de officiis, agitur, quae munera sint eorum, qui in hac hominum societate versentur, procedit; omnia enim agendi praecepta monitaque ab illa extremorum finium cognitione, velut ab ethicae artis magistra repetit. Quare non mirum est, quod in perscrutandis philosophorum de moribus et vita decretis, quid quaeque secta de summo bono et malo constituisset, id maxime persecutus est, ut cognosceret, et quum sibi proposuisset ea, quae de his rebus ipse cognosset, cum Romanis quoque communicare, in eo enixus est, ut non solum universam materiam, quam dilucidissime posset, explanaret, sed etiam quae cujusque philosophi vel probanda vel improbanda essent, suo arbitratu suisque rationibus demonstraret. Atque hac in re expedienda quatuor imprimis philosophorum varietates erant respiciendae, una Epicureorum, altera Stoicorum, tertia Peripateticorum, quarta Academicorum, quum hi omnes in summo bono exquirendo assiduum studium collocavissent. Ad nostram quaestionem ea tantummodo, quae de Epicureis est, expositio pertinet. Quorum decreta atque argumenta quoniam in duobus primis de Finibus libris ita reprehendit refutavitque, ut istos propter eam, quam de summo bono haberent, sententiam nec ad officia recte constituenda nec ad beate vivendum satis idoneos esse demonstrasse sibi videretur, in ceteris commentationibus, quas de his ipsis rebus, id est, de officiis et de miseriarum remediis scripsit, ad Epicurum suo fine bonorum et malorum quasi ipsum obrutum Ciceronis argumentatio eo tantum consilio defertur, ut istius exemplo illustretur, qui in his rebus errores admissi sint, et quam iste non sit dignus, cujus praeceptis institutisque animum advertat, qui recte velit philosophari. Nam Off. I, 5 et 6 dicit: „Qui summum bonum sic instituit, ut nihil habeat cum virtute conjunctum, idque suis commodis, non honestate metitur, hic . . . . . neque amicitiam colere possit nec justitiam.“. . . . „Hae disciplinae igitur, si sibi consentaneae velint esse, de officio nihil queant dicere.“ Atque Off. III, 116. 117, ubi rerum utilium et honestarum repugnantiam ita disceptat, ut inter honestum et id, quod re, non specie utile sit, nihil interesse, sed semper, quod honestum sit, idem prodesse judicet, in solos Epicureos invehitur, quia voluptate omnibus rebus praeposita utilitates ab virtutibus separarint eorumque exemplo appareat, quam ineptum sit atque quam inhumanum sensuum arbitrio, quid prosit, dijudicandum mandare. In Tuscul. autem disput. ubicunque Epicureos commemorat, eos in suo vitae degendae apparatu nulla arma habere, quibus mala defendant in beatitudinem hominum irruentia et, quamquam saepe se beatos esse jactent, aut mentiri aut sibi ipsos non constare ostendere studet. Neque cum hac ratione pugnat, quod Cicero in libro quinto (88—119) effigiem sapientis et beati secundum Epicuri praecepta descriptam cum aliqua delectatione intuetur atque etiam laudibus decorat. Nimirum hanc admirationem simulat, ut, quo libentius eos, quibus nulla miseriarum remedia esse constet, beatos sibi videri concedat, eo certius et justius ad ceteros philosophos, qui in iis, quae ad beatam vitam sufficiant, definiendis ratione et virtute nitantur, omnem felicitatem vindicare possit.*)

---

*) Tischer Tusc. disp. pag. XXIII admonet Ciceronem l. c. hac uberrima laudatione immemorem videri, quantopere sibi ethice Epicuri modo displicuerit. Sed injuria. Epicurei re vera beati esse non dicuntur; universa laudatio ad celebrandas ceteras disciplinas spectat.

Quae quum ita sint, nostra disputatio omnis versabitur in libris de Finibus scriptis percensendis. Tamen ex aliis libris sententiarum comparationis causa inserendarum occasio saepe incidet. Iam igitur ad illos redeamus.

Ac tres quidem res in deliberationem nostram cadent: primum Epicureorum de summo bono doctrinam, qualis est apud Ciceronem (lib. I), explicabimus, deinde hujus refutationem (lib. II) persequemur, postremo qualem se Cicero praestiterit in enarranda et existimanda Epicuri ratione, inquiremus, sed dupliciter: una enim quaestio erit, habeamusne ab Cicerone veram Epicureorum effigiem acceptam, altera, utrum argumenta ab eo adversus istos collata probanda sint necne.

Libri primi disputationem exordio misso in duas partes divisam esse apparet. Ac primum quidem Cicero summatim ac minus refellendi quam lacessendi causa non sine aliqua irrisione Epicuri praecepta perlustrat (§ 13—26), deinde hoc ludibrio excitatus Torquatus, quem causam Epicuri agentem fecit, magistri disciplinae imaginem adumbrat quantisque certissimis potest argumentis exornat (§ 29—72).

Ac Cicero quidem quum ex singulis philosophorum disciplinis primam in medium vocat Epicuri rationem, a facillima sibi videtur ordiri, plerisque notissima, sibi ipsi penitus perspecta.*) Nec in ethicis solis versatur sed percurrit totam disciplinam, ut, quid quaque in parte philosophiae ab Epicureis peccatum sit, circumscribat. Absunt haec quidem ab summi boni explicatione, sed quum ab Cicerone proferantur — quo jure, postea videbimus — ne nobis quidem videntur esse praetermittenda.

Incipit ab physicis Epicuri, de quibus hoc fere modo exponit et judicat (§ 17—21): Ac primum quidem Epicurum, quum in physicis se applicaverit ad Democritum, quum de spatio inani, de infinitate universi, de innumerabilibus mundis, de atomis nullo ab principio sed ex aeterno tempore motis et per spatium inane ita latis, ut earum concursione efficerentur ea, quae essent quaeque cernerentur, de rerum imaginibus, quarum in sensus animumque incursione et videremus et cogitaremus, eadem atque ille docuerit, omnium hujus vitiorum participem fuisse; quorum maximum id esse, quod uterque de materia, ex qua quidque fieret, tantum disseruerint, de causa autem ac vi ex materia quidque efficienti tacuerint. Quod vero Epicurus Democriteam de atomis doctrinam corrigere voluerit, hanc propriam ejus ruinam esse. Nam quum Democritus atomos varietate ponderis et velocitatis inter se confundi et coalescere tradiderit, illum, quamquam in spatio per se infinito et vacuo nihil nec summum nec infimum nec medium nec ultimum esse non ignoraret, tamen eas suo pondere deorsum ad lineam ferri statuisse. Deinde quia hoc ad perpendiculum convenienti motu atomorum nunquam fore intellexerit, ut altera alteram posset attingere, eas perpaulum (intervallo minimo Fat. § 46) declinantes finxisse. Ergo in duos errores turpissimos lapsum esse, unum, quod, quum in rerum natura nihil sine causa fieri constet, tamen ipsius declinationis quae causa esset, ne conatus quidem sit explicare, alterum, quod, quum omnino nihil tam parvum sit, ut dividi nequeat, aliquid esse minimum crediderit, quasi illud ipsum in atomorum declinatione „minimum“ aliquid esset, quod probari aut etiam tantummodo cogitari posset. Denique istum hominem ab geometricis alienissimum solis magnitudinem tantam esse censuisse, quanta videretur, vel paulo aut majorem aut minorem.

---

*) cf. § 16: „Nisi mihi Phaedrum mentitum aut Zenonem putas, quorum utrumque audivi, cum mihi nihil sane praeter sedulitatem probarent, omnes mihi Epicuri sententiae satis notae sunt.“

His expositis Cicero Epicuri dialectices inscitiam vexat (§ 22) hisce verbis: „Tollit definitiones; nihil de dividendo ac partiendo docet; non, quomodo efficiatur concludaturque ratio, tradit; non, qua via captiosa solvantur, ambigua distinguantur, ostendit; judicia rerum in sensibus ponit, quibus si semel aliquid falsi pro vero probatum sit, sublatum esse omne judicium veri et falsi putat.“*) Deinde rationem, quam ille in summis finibus constituendis sequatur, propterea vituperandam esse explicat (§ 23—25), quod natura adulterata et omnibus, quae expetenda essent, ad voluptatem, quae fugienda essent, ad dolorem relatis virtuti per se diligendae nullum locum reliquerit.

Ad extremum Epicurum ingenuis artibus et ipsum haud satis instructum fuisse et alios a studiis deterruisse (Cap. VII, § 26).

Composuimus Ciceronis sententias, quatenus ad Epicuri placita explicanda et existimanda pertinent. Iam quaestio exsistit, quid de Cicerone illius existimatore sit judicandum. Ac primum quidem praetermisitne hic aliquid, quod ad illius effigiem exprimendam necessarium videatur? Explicavitne omnia ita, ut Epicuro suum tribueret neque quidquam in pejus nec in melius mutaret? Quodsi Ciceronem solum audiemus, res paucissimis transacta est. Dicit enim (§ 13), se rationem Epicuri sic exposuisse, „ut ab ipsis, qui eam disciplinam probant, non soleat accuratius explicari.“ At primum occurrit Ciceronem plura protulisse quam sibi proposuerit. Voluerat de summo bono Epicuri disputare. Hoc quidem fecit, sed egressus est ad physica, ad dialectica. Num fortasse placuit, ut, priusquam in iis, quae sibi proposuisset, explicandis quasi acquiesceret, universam illius philosophiam percurreret? At nihil dixit de rebus divinis, nihil, qualis esset apud Epicurum natura deorum. Nam si formam Epicuri expletam in conspectu collocare voluit, ne haec quidem silentio praeterire debuit. An credibile est, eum hanc rem propterea missam fecisse, quia in eo Epicurei nescio cujus libro, quem secutus est, nihil de illa dictum erat? Fortasse dixerit quispiam, Epicuream religionem nihil ad summum bonum statuendum, nihil ad praecepta ethica confirmanda valere visam esse Ciceroni. Errasset hic quidem, si ita credidisset. Epicurus enim et ad beate vivendum et ad mores corrigendos nihil utilius salubriusque esse censuerat quam verae deorum naturae notitiam, quippe qua omnes superstitionum formidines terroresque tollerentur. Deinde quamquam deos ex mundo omnique terrenarum humanarumque rerum providentia removerat, tamen eos esse crederemus necesse habuit et tales quidem, qui perfecta beatitudine, libertate, virtute affecti essent atque sine ulla perturbatione fruerentur. Quos etsi nemo

*) Post haec in codicibus lacuna est, in qua explenda docti homines adhuc frustra laborarunt. Certum est, ea, quae proxime sequantur (§ 22) „confirmat autem illud etc.“, cum antecedentibus non cohaerere, sed nulla transitione facta spectare ad Epicuri summi boni malique reprehensionem atque etiam in hac ita versari, ut ab initio quaedam excidisse pateat. Quae autem praecedunt, ne ipsa quidem videntur plena esse. Neque enim verisimile est, Ciceronem alteram philosophiae partem, logicam, una tantum paragrapho, quam ad verba retuli, complexum esse, quum physicae Epicureorum refutationem per quinque duxisset, de tertia vero parte, quomodo ab iis deformata sit, tribus paragraphis acturus esset. Quae autem exciderint, facile suspiceris ex aliis locis, ubi Cicero in tractandis quaestionibus logicis Epicuri mentionem facit. Quare similia quaedam adjecta fuisse crediderim eorum, quae legantur alibi, ut Fat. 18—22; Ac. II, 97, ubi Epicurus vituperatur, quod ex dijunctis enuntiatis alterum utrum verum esse negaverat; vel haec fere Epicurea: verum esse judicium, si e sensibus natum esset et si sensibus aut confirmetur aut redarguatur; quam ad rem videtur pertinere Ac. II, 45: „qui voluit subvenire erroribus iis, qui videntur conturbare veri cognitionem, dixitque sapientis esse opinionem a perspicuitate sejungere, nihil fecit; ipsius enim opinionis errorem nullo modo sustulit“; vel denique quaedam de artis oratoriae contemptione ab Epicuro ostentata (cf. de Orat. III, 62).

animantium nec aequare nec superare posset, tamen homines permultum assecutos esse, si illos animis colerent et admirarentur exemplaque imitanda sibi proponerent; ac ne ipsos quidem deos propter hanc hominum aemulationem irasci sed gaudere.*) Nec Cicero hanc deorum Epicureorum naturam ignorabat. Quae cum ita essent, si voluisset ea tantum explicare, quae pertinerent ad summi boni Epicurei notionem constituendam et intelligendam, non dubito, quin primum, quid Epicurus de diis docuisset, traditurus fuerit, deinde de dialecticis et physicis illius prorsus aliter ac disputavit, debuerit disputare. Etenim Epicurus disserendi et ratiocinandi artem, quia ad vitam recte instituendam nihil prodesset, despexerat, naturae autem pervestigationem fundamentum et cognoscendi et agendi esse docuerat nullumque judicium verum esse concesserat, quod non naturalibus rebus sensuumque animadversione probaretur, nihilque bonum atque expetendum, quod non perspicua ipsius naturae doctrina ante oculos poneretur. Ad hanc igitur rationem Ciceroni spectandum erat, si eo loco, quo, ut ipse ait, nihil quaerebatur, nisi quid Epicurus de ethicis rebus statuisset, tamen etiam physica atque logica ejus exponere volebat. At nihil attulit, nec vera nec commenticia, ex quibus, quae harum rerum cum summo bono cohaerentia apud Epicurum vel fuerit vel Ciceroni fuisse visa sit, cerni possit. Ergo apparet hunc nec in delectu eorum, quae exponenda sibi esse existimaret, certo aliquo consilio usum esse et hanc curam, ut ea, quae proferret, ad quaestionem totius libri dirigeret, nonnunquam neglexisse. Quare hoc primum vitium admisit, quod id, quod quaque in arte, maxime autem in philosophia necesse est, ut singulae partes rebus cognitis et penitus perspectis et in unum exitum spectantibus et nunquam fallentibus contineantur, in Epicuro existimando omisit quaerere. Alterum vitium ad primum proxime accedit. Nam si qui homo justus nulloque invidiae incitamento commotus de cujuspiam moribus et rebus gestis judicare audebit, quid officii primo loco observabit? Non satis habebit, ea quae cernuntur et praesenti tempore ad conspiciendum patent, examinasse, sed ab rebus manifestis regredietur ad reconditas et ante actas ut ad primarias causas originesque praesentium posterarumque. Etenim aequitas judicii non potest valere, si quis aliter procedet. Atque easdem in salebras incidere solent, qui philosophorum placita non persequuntur usque ad summa principia, sed per se quaeque cognosse et vel probasse vel improbasse contenti sunt. Quid igitur Cicero? Singulis Epicuri sententiis cognitis penetravitne ad principia, estne conatus perspicere universam rationem, quae omnia ejus decreta contineret? Minime. Nihil fere efficit, nisi ut demonstret, ubi Epicurus erret et quid quaque in re sibi displiceat. Argumentis accuratis et exquisitis vix utitur, sed levibus et saepe paene nullis. Facile erat atomos a recta linea fortuito declinantes irridere, facile probro vertere, quod Epicurus certam aliquam vim res efficientem e mundo expulerit, facile disserendi artis contemptorem ipsum ex hominum recte cogitantium atque politorum coetu removere, facile denique virtutum Epicureas laudes sonos inanes habere — tamen hae omnes aut reprehensiones aut irrisiones non eam vim habent, ut Epicuri rationem funditus evertant. Neque enim Cicero adversarium usque ad ultima, ut ita dicam, refugia persecutus est; impugnavit eum potius quam devicit. Atque duas quidem res vel gravissimas neglexit, quod nec singulas Epicuri sententias inter se repugnare nec universam ejus rationem philosophandi a falsis initiis profectam esse ostendit.

*) Si quidem Epicurus re vera docuit, quae apud Diog. Laert. 124 leguntur: „*Ταῖς ἰδίαις οἰκειούμενοι* (dii) *διὰ παντὸς ἀρεταῖς τοὺς ὁμοίους ἀποδέχονται.*“

At fortasse equidem ipse parum cautus sum in reprehendendo Cicerone. Nonne ipse hic providit, ne temere reprehenderetur, quum se illa, quae nos supra retulimus ex ejus commentatione, magis ut Torquatum, Epicuri patronum, provocaret, quam ut ipse loqueretur, contendisse diceret? Forsitan multa tela retinuerit, quae postea quam Torquatum Epicureos tuentem audisset, in ejus argumenta emitteret (lib. II). Desistamus igitur tenere viam, quam modo instituimus, et suscipiamus, priusquam ipsi judicemus, eam disputationem enarrandam, quae inde ab § 29 primum de Finibus librum totum complectitur, cujus princeps, quia Epicuri defensio agitur, jam Torquatus exsistit.

Mirum est, quod Cicero Torquatum hoc loco de nulla re dicentem facit nisi de summo bono et malo Epicuri, physicorum autem et dialecticorum expositionem e medio tollit. Ab initio Torquatus pollicetur de illis rebus alias quaesitum iri, et ita quidem, ut uterque et Democritus et Cicero refellantur, sed quum hoc promisso non stet, nihil aliud videtur spectatum esse, quam ut inter Ciceronis et Torquati orationes aliqua cohaerentia efficeretur; quae enim postea proferuntur ad physicorum laudem, non in his ipsis explicandis versantur, sed sine rerum naturae cognitione vitam non posse recte institui demonstrant. Videmus igitur Ciceronis, quamquam de universa Epicuri philosophia disserere inceperat, tamen hoc tantum interfuisse, ut praecepta ejus ethica refelleret. Quae opinio etiam ea re confirmatur, quod in libro secundo disputatio nullo verbo ad physica aut dialectica refertur, sed omnis hoc uno argumento coercetur. Iam igitur ut videamus, qua ratione Torquatus rei susceptae satis fecerit, primum singulas totius disputationis partes unum sub adspectum subjiciamus liceat. Ac partes sunt hae quidem octo.

1. Summi boni definitio; voluptatis cum eo congruentia (§ 29—32). Communis animantium natura in doloris fuga et voluptatis desiderio posita (§ 33—36).
2. Sapientis summa voluptas indolentia (§ 37—42).
3. Virtutum ad voluptatem cursus (§ 42—54).
4. Voluptatis dolorisque origo ex corpore; tamen utrumque majus in animo quam in corpore (§ 55—57).
5. Stulti et sapientis imagines (§ 57—63; cf. § 40—41).
6. Physicorum scientiae utilitas (§ 63 et 64).
7. Amicitia ad beate vivendum quantum valeat (§ 65—70).
8. Artium inanium reprehensio (§ 71—72).

Sed ad singula quaeque persequenda transeamus.

1. Ac primum quidem Torquatus postquam summum bonum (Graece *τέλος*) ita definivit, ut id tale esse diceret, ad quod omnia referri oporteret, ipsum autem nusquam — qua in definitione cum adversariis omnibus atque etiam cum Stoicis consentit; cf. Madvigium ad Fin. I, 29 — Epicurum ipsum hoc loco et ubique ducem sequens illud bonum voluptatem, contrarium autem, id est, summum malum dolorem esse ponit. Natura enim ipsa sensibus judicante atque admonente omne animal, simulatque natum sit, voluptatem appetere (Diog. L. X, 128: *ἡδονὴν ἀγαθὸν πρῶτον καὶ συγγενικὸν (σύμφυτον) ἔγνωμεν*) eaque gaudere ut summo bono, dolorem aspernari ut summum malum. Quod ad confirmandum quum nihil occultum aut quasi involutum sit aperiendum, sed promptum et apertum animadvertendum modo, nulla opus esse argumentatione nec conclusione rationis. Immo id unum tenendum, ut, qui Epicurum sequantur, sensibus confidere nunquam desinant, quibus de-

tractis reliqui nihil esse, ex quo, quid aut ad naturam aut contra sit, judicari possit. Quae quum ita sint, Torquatus, ut Epicuri, non Epicureorum interpres in subtiliore doctrinae confirmatione non moratur, adversariorum dubitationes argumentis illius removere conatur. Adversarios enim hujus doctrinae ea maxime re errare, quod, quidquid sensibus voluptatem praebere videatur, idem ab Epicuro semper commendari, quidquid sensuum ex judicio doloris cruciatus afferre videatur, idem ab eo semper rejici opinentur. Neque enim in rebus jucundis expetendis neque in molestis repudiandis temere ac caeca cupiditate agendum esse. Sed sapienti homini ratione utendum, qua, quid tempora quaedam aut officia debita aut rerum necessitates postulent, cognoscatur, ut delectu habito*) aut rejiciendis voluptatibus majores alias consequatur aut perferendis doloribus asperiores repellat. Neque vero quemquam voluptatem ipsam, quia voluptas sit, odisse, sed quia una repressa alteram majorem se adepturum esse speret, nec dolorem ipsum, quia dolor sit, amet, sed quia interdum eo ipso suscepto transeat ad magnam aliquam voluptatem (cf. etiam Tusc. V, 95). Quare ne virtutes quidem propter se ipsas expeti, sed qui pro re publica, pro suis, pro amicis damna, labores, pericula subierint, eos ipso laborando et periclitando condicionem quandam appetiisse, qua adepta beati futuri esse sibi visi essent.

2. Quoniam sapienter deligendum est inter multa voluptatum genera, quaeritur, quid et quale sit haec Epicurea voluptas, cujus qui particeps fiat, in ea acquiescat ut in summo bono. De hac re, ait Torquatus, plerosque errare, quum nihil curantes, quam severa, quam continens, quam gravis sit Epicureorum disciplina, voluptatem horum solis blanditiis et illecebris earum rerum contineri putent, quae vulgo voluptariae ac delicatae habeantur. Quas res quamquam nemo, qui recte cogitet, ex voluptatis complexione excipiat, tamen hanc ipsam apud Epicurum latius patere. „Non enim, inquit, hanc solam sequimur, quae suavitate aliqua naturam ipsam**) movet et cum jucunditate quadam percipitur sensibus, sed maximam voluptatem illam habemus, quae percipitur omni dolore detracto.“ Quum igitur duo sint genera voluptatis, una, quae vulgo dicatur, altera, quae quum privatione ac vacuitate doloris constet, Epicuro maxime placeat, eos, quibus medium quiddam inter dolorem et voluptatem esse videatur, tali modo labi, ut id ipsum, quo summa voluptas terminetur, non solum ex malorum, sed etiam ex bonorum numero excludant, quasi vero ea condicio animantium, quae, nullo adjecto ex alia aliqua parte incitamento gaudii, dolore tantum careat, infinitum quiddam sit, quod liceat non in malis poni possit, tamen non propius absit a bonis. Atqui hanc indolentiam***) nullis aliis volupta-

---

*) Delectus *φρονήσει*, primaria Epicuri virtute, habendus est, quae causas expetendi et fugiendi (*αἱρέσεως* et *φυγῆς*) ponderat. D. L. X, 132.

**) Madvigius (ad Fin. I, 37) voce „ipsam“ offenditur; „Nam non satis apparere, cur addatur; sed naturam non aliam esse ac sensum. Videri Ciceronem sic loqui, tamquam altera voluptas non sit in sensu.“ Sane voces „natura et sensus“ hoc loco idem significant, et id quidem, animantium naturam ab primo vitae die sensuum actione contineri. Tamen illud „ipsum“ plane recte additum est. Nam doloris absentia non sensibus, id est, non ab ipsa natura (nicht unmittelbar von der sensuellen Natur) cognoscitur, sed ratione, quac, quia cogitando conscientiam sui habet, prima absentiam doloris percipit, deinde hanc cognitionem cum sensibus communicat. Qui simulatque admoniti sunt nihil adesse, quo turbentur et crucientur, una cum animo in statum voluptatis intrant. Itaque etiam indolentiae voluptas in sensu est. Causa efficiens eam quidem scientia est, quae mente cogitante comparatur. cf. Diog. L. X, 137.

***) Hoc verbum „indolentia“ primum legi Fin. II, 11 adjuncta excusatione „ut ita dicam“, postea autem (Off.; Tusc.) nulla adjunctione a Cicerone usitari admonet C. M. Bernhardt in programmate gymnasii Friderici Guilelmi Berolinensis 1865 „de Cicerone Graecae phisosophiae interprete“ p. 7. Nostro in libro abstinet Cicero ab usu

tibus quamvis variis atque distinctis aequari, nedum augeatur et amplificetur, ergo summam esse voluptatem. Neque enim eum carere, cujus sensus non titillentur jucundo aliquo atque suavi motu, sed eum, qui in dolore sit. Longissime autem Epicurum ab Aristippo Cyrenaico discrepare, qui ex suavibus corporis affectionibus omnem voluptatem pendere existimaverit. Id ipsum autem, quod Epicurei omnibus deliciis praeferant, nihil dolere, eam rem esse, quae ipsa ad nullam aliam referatur, sed ad quam referantur res omnes — summum bonum.

3. Jam Torquati oratio se ad quaestiones ethicas convertit, ut eos refellat, qui, si omnium studiorum humanorum cursus sit ad voluptatem et eam quidem summam, quam Epicurus in non dolendo consistere docuerit, virtutes exstingui omniaque, quae honeste agi dicantur, opprimi arbitrentur. Ac contra hos quidem Torquatus virtutes ministras esse voluptatis omnesque id unum spectare contendit, ut cum voluptate vivatur. Neque enim virtutes ait propter se laudabiles aut expetendas esse, nec vitia propter se improbanda aut fugienda, sed ut medicorum vel gubernatorum artem utilitate, non scientia metiamur, sic virtutum dignitatem referendam esse ad id, quod prodesse videantur, vitiorum probra incidere in eas, quae malitiam cujusvis generis consequi soleant, calamitates.*) Ac primam quidem sapientiam, quae ars vivendi**) putanda sit, certissimam se praebere ducem ad bene vivendum. Contineri enim sapientiam rerum bonarum optandarumque et rerum malarum rejiciendarumque cognitione, qua terroribus cupiditatibusque detractis ac falsarum opinionum temeritate derepta ex animis recedat omnis maestitia et metus. Atque vero atrocissimas inimicas animi tranquillitatis — hac voce „tranquillitas" Cicero Graecas „ἀπονία vel ἀταραξία" interpretatur, quo efficitur tranquillitatem idem esse ac non dolere, indolentiam; nam haec non tam doloris amotio est quam is animi status, quem nullus dolor, nullus casus perturbare possit: ergo minus ἀναλγησία quam ἀταραξία (p. 15 adn.) — esse cupiditates, quae quo inaniores sint, eo minus satiari possint. Quamobrem ex cupiditatum caeco impetu incurrentium turba per sapientiam delectum haberi, cujus delectus quae ratio esse deberet, Epicurum aptissima partitione ostendisse: Tria enim genera cupiditatum posuisse, unum naturalium et necessariarum, alterum naturalium nec tamen necessariarum, tertium inanium (nec necess. nec natur.***) Ex his naturales perpauca desiderare: necessarias non multa nec opera

hujus propter novitatem durioris vocabuli, rem significandam semper per circuitum verborum enuntiat, et hoc quidem vario modo: „liberatio et vacuitas molestiae" vel „molestiae detractio" vel „doloris privatio" vel „doloris amotio". Quod Graecorum verbum Cicero voce „indolentia" transtulerit, utrum „ἀναλγησία", ut Bernhardt auctore Nonio dicit, an „ἀπονία" vel „ἀταραξία", dubium est.

*) Omisi supra ea, quae C. Torquatum disputantem in paragr. 40 et 41 facit, enarrare. Haec enim parum apta sunt et ex antecedentibus et ex sequentibus. Nam etsi nondum expositum est, quid sit faciendum, ut illam summam non dolendi voluptatem assequamur, imprimisque, qui ad hanc comparandam optimus animi sit habitus, tamen T., quasi sit expeditum, Epicurei Beati laudes inserit vulgique quanta sit miseria, jactat. Haec omnia pertinent ad Sapientis imaginem postea (§ 57—64) adumbratam et fere eadem sunt.

**) Idem statuebant Stoici. Differebant igitur ab Epicureis non fine vitae constituto, sed ratione ad hunc finem assequendum inita, utrique etiam hac in re errabant, quod cognitionem rerum scientiamque propter se ipsas expeti licere negabant.

***) In libro II § 26 Cicero hanc divisionem vituperat, quia parum elegans sit. Nam quum duo genera sint cupiditatum, naturales et inanes, Epicurum tripertitas cupiditates statuisse naturalibus distractis in necessarias et non necessarias, id est, quae in parte essent, in genere numerasse. Minus improbat eandem divisionem Tusc. V, 93: „non nimis fortasse subtiliter, utiliter tamen (divisit)". Apparet Ciceronem alteram quandam bipertitam divisionem, quae est in epistola Epicuri ad Menoeceum scripta (D. L. 127) non habuisse cognitam, quae ei, quam C. postulat, prorsus satisfacit.

nec impensa expleri, non necessarias faciles esse ad carendum; inanes nunquam satiari. Atque ad hanc primariam virtutem sapientiae, qua homines ab libidinibus formidinibusque vindicentur et ipsius fortunae injurias modice ferre doceantur, proximam adstare temperantiam, qua et in eo stetur, quod sit judicatum, id est, quod necesse esse cognitum sit, et id reprimatur, quod inani cupiditate flagitetur. Quare saepe fore, ut sapiens idemque temperans aut praetermittat voluptatem aliquam, quae initio optabilis visa sit, ne libidinibus constringatur ipseque majorem aliquam voluptatem deperdat, aut perpetiatur dolorem, ut vitet majorem. Omnem enim optionem, quaequae sit, appetere voluptatem et horrere dolorem.

Eandem cerni rationem in fortitudine et justitia. Fortitudinem enim ejusque munera non suo nomine laudari, sed quia mens magnitudine roboreque animi ab curis angoribusque liberetur et ad dolores tolerandos confirmetur. Itemque timiditatem atque ignaviam, quia dolores pariant, rejici. Justitiam denique non minus quam ceteras virtutes copulatam esse cum voluptate, ita ut, qui juste probeque se gerat, nec poenas legum nec odium hominum nec conscientiam deorum*) timeat nec iis sollicitudinibus exedatur, quae improbis a diis supplicii causa impertiri dicantur. Nec exiguum aequitatis incitamentum ea re oriri, quod, quum cupiditates naturales facile expleantur, in ipsa autem injuria insit plus detrimenti, quam in rebus injuste partis emolumenti, omnino nulla sit causa peccandi. Itaque nec probitatem per se esse optabilem nec improbitatem per se detestabilem, sed quia ex una plurimum jucunditatis efflorescat, ex altera miseriae. Ergo quum nulla sit causa probabilis, cur virtutes laudemus, nisi quod omnes ad voluptatem dirigantur, juste, fortiter, sapienter, temperanter vivere nihil aliud esse nisi cum voluptate vivere.

4. Deinceps ut ea, quam supra instituimus, partitione praescribitur, agendum est, ut de animi et corporis, quatenus ad voluptatem et dolorem pertinet, differentia duce Torquato disseramus; locus haud facilis ad explicandum, quia sive Ciceronis negligentia sive libri Epicurei, quem sequebatur, obscuritate disputatio minus perspicue procedit. Tamen qualem sententiarum rationem et progressionem Cicero cogitari voluerit (§ 55—57), videtur mihi his fere declarari.

a) Animi voluptates et dolores nascuntur e corporis voluptatibus doloribusque.
b) Itaque utraque ut ex corpore oriuntur, ita ad corpus referuntur, quum animi jucunditas etiam corpus juvet, animi dolor etiam corpus affligat.
c) Sed tamen multo majores sunt animi delectationes et molestiae quam corporis.
d) Nam corpore nihil sentitur nisi praesentia, animo et praeterita et futura.
e) Simulatque enim corpore dolemus, animus non solum hoc praesenti malo, quod in corpus irruit, affligitur, sed metuit etiam, ne quid aeterni et infiniti mali impendeat. Eadem ratio transferri potest ad voluptatem.
f) Quare si quaeritur, utrum plus valeat aut ad beate aut ad misere vivendum, constat animum majoris esse momenti corpore.
g) Ergo non est dubium, quin homo animi auctoritatis ponderisque memor hanc vim conferre debeat ad beatam vitam efficiendam.

*) Hunc deorum timorem inducens contra injustitiam Torquatus Epicureus vel potius Cicero ipse existimetur doctrinae Epicuri parum satisfacere. Nam Epicurei dei ab negotiis hominum alieni cogitandi sunt; quare non necesse videatur eos timere. Sed videtur modo; nam certum est Epicurum praecepisse, eum, qui injuste agat, hac ipsa injuria recidere in superstitionem atque arripi timore deorum, quasi occaecatum mente.

h) Quamobrem ne appetat eam voluptatem, quae sensum movet, neve lugeat detracta ejusmodi voluptate, sed in ea cognitione, quanta sit voluptas non dolendi, acquiescat.

i) Ad extremum quod attinet ad praeterita aut mala aut bona, hac ipsa in re discrimen magnum cernitur stultorum et sapientium. Quum enim situm sit in nobis, ut et adversa quasi perpetua oblivione obruamus, secunda libentes meminerimus, stultus homo ab natura declinat, quum malorum memoria torquetur, sapiens naturae admonitionem sequitur, quum bonorum praeteritorum delicias recordatione conservat et renovat. Quo fit, ut unus in aegritudinem incidat, alter hilaritate moveatur.

His, quas composui, sententiis, ut patet, ea primaria subjecta est, animi munus esse, quum eum plurimum valere ad „εὐδαιμονίαν" constet, voluntate omnibusque nervis intentis miseriam prohibere atque sapientia adhibita ea, quae nemini non sit parata, felicitate uti. Atque mihi quidem hoc praeceptum videtur consentaneum esse ad reliquam Epicureorum doctrinam, Madvigius autem in hoc loco existimando constantiam eorum desiderat. Tribus enim rebus offenditur, primum quod Epicurus, quamquam animi naturam esse dicat corpoream, tamen animi quandam ab corpore sejunctam et laetitiam et molestiam statuat, deinde quod corpori non eadem ad beatitudinem vis tribuatur atque animo, postremo, quod Torquatus iterum ad indolentiae notionem describendam regrediatur. Addit denique omnino haec, quae ad notionem voluptatis explicandam pertineant, non recte disposita esse. At Madvigius obliviscitur animi naturam apud Epicureos quamvis corpoream tamen ab ipsius corporis natura plurimum differre. Atomos (cf. Lucret. III, 137—258) enim, quibus concrescentibus animus exsistat, multo minores, subtiliores, mobiliores esse censent quam ceteras, quarum conjunctione mundus omnesque res externae oriantur. Deinde animum ipsum ex duabus partibus constare, quarum una (anima), quae per totum corpus dispersa sit, alteram (animum, mentem, rationem) cum corpore connectat et efficiat, ut corpus vivat et sentiat. Hanc alteram autem animi partem propria quadam natura affectam esse, quia in pectore tantum habitet et praeterquam quod iisdem corpusculis parvis, levibus, rotundis atque anima composita sit, aliquid singulare habeat, quod nec cum aliis rebus comparari nec suo ipsum nomine appellari possit. Sed certum esse hac natura omnem mentis agitationem creari et effici, animam autem una cum corpore animo esse subjectum atque obtemperare. Ex quibus, si Lucretium recte interpretati sumus, intelligitur, quum anima et in omnibus corporis partibus insit et quidquid corpori accidit, id cum animo communicet, nullam corporis jucunditatem, nullam molestiam cogitari posse, quae non sentiatur animo, ut ab corporeorum sensuum interprete. Tamen quoniam animus singulari sua natura et ab corpore et ab anima, inferiore sua parte, sejunctus sit, fieri posse, ut ille supra corporeorum motuum vicissitudines casusque tamquam sublime feratur et corporis statu sponte neglecto suis studiis rebusque deditus secum ipse vivat. Itaque Epicurei, quod animum corporeis elementis contineri et tamen separatam quandam ab corpore animi conditionem induxerunt, nulla repugnantia se implicarunt, sed in pristinis sententiis permanserunt, quum, quae esset animi et corporis similitudo, ex ea communionem quandam utriusque ducerent, quae autem dissimilitudo esset, ex ea alteram partem ab altera sejunctam vitam degere colligerent. Quod vero Madvigius miratur, Epicureos utrique generi eandem vim ad beate vivendum esse negare, opponendum est, animum propter id ipsum, quia dux et moderator totius humanae naturae sit, maxime idoneum

esse, qui eum statum, quo adepto homo omnes fortunae aditus ad se interclusos esse confidere et medio in dolore „quam suave hoc!" exclamare possit, rerum vere optabilium prudenter habito delectu appetat. Ex quo efficitur, Torquati disputationem etiam ad indolentiae laudem commode recidere. In deligendis enim iis rebus, quas maxime sibi expetendas existimet, mens omnes corporis voluptates casui obnoxias, hanc ipsam autem indolentiam vel potius tranquillitatem unam omnium bonarum rerum firmissimam et ex voluntate aptissimam esse cognoscet. Quae quum ita sint, nulla videtur causa esse, cur Madvigii de paragr. 55—57 reprehensioni, cujus supra mentionem fecimus, adsentiamur. Concedimus nos quidem rerum expositionem minus perspicuam esse quam aliis locis, tamen sententiis Torquati recte inter se connexis, quid demonstrare voluerit, vix dubium est; itemque in ipsis his Epicuri praeceptis, quae Torquatus protulit, nihil invenimus, quod ab constantia cogitandi alienum sit.

5. Restat, quoniam universa Epicureorum de summo bono et malo doctrina exposita est, ut stulti et sapientis imagines describamus, quales illi rationi respondere videantur. Ac stultus quidem praeclaram et apertam et directam beate vivendi viam, quae supra monstrata est, non posse ingredi ostenditur, quippe cujus animus a se ipse dissidens pugnantibus consiliis contrariisque studiis distrahatur, nec ullo, quo quiescat et respiret, loco consistere possit. Quae cupiditates reprimendae et exstinguendae sint ut morbi, eas stulti animum occupare; quae res nullo modo animum affligere debeant, eas maxime vana aegritudine cruciare et conficere; neque enim stultum corporis dolores ita ferre, ut par sit; non respicere, quam levis dolor in longinquitate, quam brevis in gravitate esse soleat. Accedere mortis formidines atque superstitiones, praeteritorum bonorum oblivionem, praesentium fastidium, futurorum quamvis incertorum exspectationem. Attamen ut, qui tali modo animo affectus sit, nunquam esse possit beatus, ita neminem sapientem non esse beatum. Nam ne in doloribus quidem, si qui incurrant, tantam vim inesse, ut sapiens non plus habeat, quod gaudeat quam quod angatur, omnino vero „exiguam fortunam intervenire sapienti". Neque hunc quidem ab Stoicorum sapiente multum differre. Tamen quae ratio sit, si quaeratur, qua duce ad beatitudinem sit perveniendum, tum Epicureorum disciplinam longe esse praeferendam. Epicureos enim, quum omnia studia humana repetant ab voluptatis desiderio, etiam virtutes ad illam comparandam redigere; Stoicos autem, quum virtutem solam sequi sibi videantur, indolem humanam dejicere ex eo, in quo posita sit, fundamento et primis naturae monitis repugnare.

6. Postquam Torquatus Epicuri principalia de moribus instituendis decreta laudavit et qui illis obtemperaret, quam felix is futurus esset, exposuit, cetera, quae feruntur, genera philosophiae, quantum valeant in Epicurea disciplina, dialectica et physica percenset. Atque alterum genus, artem disserendi, paucis verbis explodit, quia nullam habeat vim nec ad melius vivendum nec ad commodius cogitandum. Quo majorem esse alterius vim, naturae cognitionis, cui eadem ex causa, qua dialectica ars repudianda sit, nunquam satis laudis praeberi possit: etenim hanc quidem plurimum valere ad beatam vitam comparandam.

Explicantur haec, quae spectant ad physicorum laudem, in paragraphis 63 et 64, quo in loco existimando jam pridem multi interpretes ac praecipue eorum princeps Madvigius haerebant. Cujus rei causa sita est in disserendi, qua Cicero usus est, ratione. Neque enim hic de ipsis, quae exponendae erant, rebus erravit, sed in disponendis et collocandis his rebus illo loco

adeo non diligens fuit, ut ipse, quum in orationis forma et apta et constanti nihil possit corrigi, rerum scientia caruisse videatur. Sed accuratius perscrutemur hunc locum. Cujus argumentum si recte perspicimus, dividimus in tres partes. Tres enim utilitates ex naturae cognitione percipiendas esse existimat Torquatus: unam, quod, unde oratio nata sit, quid ea omnino sit et quale, cognoscamus, deinde qua norma in dicendo et cogitando utendum sit, ut semper tuti simus ab inconstantia et ineptiis — alteram, quod omnibus, quae animum perturbent, rebus levemur*) — tertiam, quod cujusvis scientiae regulam positam esse in sensuum judiciis discamus, ut ad ea in cognoscendis rebus omnem cogitationem consuescamus dirigere.

Videtur mihi apparere, Ciceroni, si recte cogitare voluisset, ea, quae de sensuum veritate praedicata sunt, in primo loco collocanda fuisse, non in tertio. Ex sensuum enim, ut ita dicam, imperio constituto omnis et sentiendi et dicendi et agendi, qualis ex animorum Epicureorum sententia esse debet, ratio pendet. Deinde non tres, sed duae faciendae fuerunt partes; nam ea scientia, quae ad verborum vim, ad orationis naturam cognoscendam, ad consequentium et repugnantium enuntiationum discrimen perspiciendum necessaria est, nullo alio, ut Epicurei docebant, fundamento nititur nisi in sensuum arbitrio. Ceterum Ciceronem ipsum huic tripertitae divisioni haud nimium tribuisse, ex eo intelligitur, quod § 64, ubi omnia paucis verbis iterum constringit, illas grammaticas et logicas res omnino non iterum commemorat, sed omnem naturae cognitionis utilitatem ponit in moribus cupiditatibusque emendandis et in judicio sensuum sequendo. Quare missa hac rerum perturbatione in illo, quem supra enarravimus, loco nihil videmus, quod aut falsum sit aut obscurum. Quid igitur id est, quo Madvigius offenditur? Dicit ad verba § 63 „In physicis plurimum posuit. Ea scientia etc.“ Ciceronem haec „mire“ scripsisse et „parum recte“. Nam illum res, quae quaque in parte philosophiae tractatae essent, miscuisse ac turbasse. Epicurum enim, quamquam **τὸ κανονικὸν**, id est, veri et falsi regularum constitutionem, ab physicis non longe abesse putasset, tamen in physicis vim verborum, naturam orationis, consequentium repugnantiumve rationem non tradidisse. Accedere, quod Cicero paullo post eo loco, quo omnia in hominum vitam merita physicorum comprehendantur, nihil de hac eorum laude dicat. Itaque non injuria nonnullos interpretes offendisse; tamen nullam loci emendationem reperiri posse, quae et ad veram Epicureae rationis formam et ad verborum Ciceronianorum fidem respondeat. Quamobrem T. Bentlejum forti remedio omnia haec verba „ea scientia et verborum vis et natura orationis et consequentium repugnantiumve ratio potest perspici“ delevisse. Sed desperandum esse de scriptura apte corrigenda. Itaque nihil relinqui, nisi ut Ciceronem physicis ampliores fines dedisse arbitremur, quam debuerit. At Epicurum naturam et vim orationis aut quaestiones logicas in physicis tractasse Cicero nullo verbo significat, nec omnino, quas res ille hac arte complexus sit, hoc loco dicit. Nihil dicit nisi ex naturae cognitione aliquid et ad scientiam originis orationis et ad distinctionem veri falsique et ad institutionem vitae redundare. Aliud enim est, de sententiis rebusque, quibus ars aliqua contineatur, exponere, aliud, de utilitate, quam ea rebus humanis attulisse videatur. Ceterum eodem jure, quo Madvigius Ciceronem illas res ad physica retulisse existimat, quispiam alius etiam ethicas ad ea adscriptas esse contenderet. Tamen ex

*) Velut superstitione, metu religionis, mortis formidine, omnium rerum occultarum ignoratione, cupiditatum contra naturam repugnantium potestate.

verbis Torquati hoc unum tantum patet, cognita natura homines melius moratos fore. At ponamus Ciceronem illud, quod Madvigius ei probro vertit, re vera fecisse. Num errasset? Minime sane! Neque enim equidem Ciceronem eos, quibus ab Epicureis physica terminata erat, fines transgressurum fuisse existimaverim; immo non dubito, quin isti ipsi eum comprobaturi fuerint. Constat enim Epicureos, etiamsi in dividenda philosophia eam, quae antiquitus tradita erat vulgoque percrebruerat, partitionem ferre consuessent, tamen, quid quaque in parte tractandum esset et qua ratione, si ageretur, naturalium rerum cognitioni ducis ac magistrae partes mandandas esse censuisse. Quo factum est, ut Epicurei, id quod Hirzel (Differenzen in der epikureischen Schule p. 156. 157) argumentis certioribus, quam de quibus liceat addubitare, demonstravit, non solum universae, qualem isti quidem statuebant, philosophiae nomen physiologiae indiderint, sed etiam, si quam sententiam veritati, vel quam actionem honestati convenire negarent, rationem naturae laesam esse (**ἀφυσιολόγητον**) arbitrati sint. Logices vero, quam **κανονικὴν** nominabant, tractationem, tantum aberat, ut per se solam fieri permitterent, ut eam primariam physicae partem esse censerent. Itaque si non nomina, sed res ipsas reputabimus, vix verendum est, ne a vero delabamur, si Epicureos philosophiam non tripartito, sed bipartito distribuisse contendemus, in physicam et ethicam. Quae quidem sententia certis veterum testimoniis confirmatur, velut Senecae ep. 89, 11: „Epicurei duas partes philosophiae putaverunt esse, naturalem et moralem: rationalem removerunt ..... eam accessionem esse naturalis partis existimant“ (cf. Sext. Emp. adv. Math. VII, 14). Quae si recte disputavimus, sequitur, ut illi omnia, quae de sensuum perceptione, de cogitandi ratione, de summa veritatis regula docebant, in numero earum rerum habuerint, quae hominum physicorum ratione essent perspicienda et ita tractanda, ut omnem sensuum et animi naturam nihilo minus quam externas res uni et eidem, quae per totum mundum pertineret, legi obedire atque per hanc quidem legem, tamquam communem parentem, arctissima necessitudine inter se conjungi memoria teneretur. Neque enim ulla alia causa fieri censebant, ut cerneremus atque cognosceremus, quam quod rerum comprehendendarum eadem ex atomis, si minus paribus, at certe similibus orta natura esset ac sensuum animique. Itaque hoc modo accidere, ut ab rebus figurae quaedam sejungerentur atque per spatium vagantes intrarent in sensus sensibusque communicarentur cum animo, eodemque modo effici, ut animus, si ea, quae ab sensibus accepisset, secum deliberaret, non caderet in errores opinionum, sed etiam in inveniendis, quae inter se convenirent, et repellendis, quae inter se repugnarent, sententiis semper intra fines veri permaneret: dummodo in cogitando judicandoque, quid cuique rerum imagini ex sensibus perceptae consequens esset, quid repugnans, diligenter respiceret. Quid igitur? Universa Epicureorum ars, quae quidem in via ac ratione cognoscendi constituenda et in animi natura perspicienda versabatur, nonne recedebat ad physicam (cf. Lucret. IV)? Accedit, ut etiam ea, quae de libera voluntate docebant, ex atomorum declinatione, quae casu fieret, ducerent, qua sublata ipsa optandi licentia tolleretur (cf. Lucret. II; Cic. Fat. § 22); ut denique rerum expetendarum et fugiendarum distinctionem prorsus sensuum arbitrio committerent. Quibus ethices principiis ex natura rerum haustis, quid igitur causae est, cur morum etiam instituendorum rationem physiologiam quandam fuisse existimemus? Jam vero oratio nonne iisdem finibus circumscripta erat? Lucretius quidem (V, 1026—1088), quomodo ex animadversione et imitatione vocum et sonorum naturalium omnes loquendi incitationes et conatus initium ceperint, ingeniose explanat (cf. Diog. L. 75).

Jam res, quae quaerebatur, ni fallor, expedita est: Ciceronem ab Madvigio l. c. immerito vituperatum esse apparet. Tamen, ut jam supra dixi, concedendum est, illum rem vix difficilem et spinosam obscurasse omniumque dubitationum reprehensionumque ipsum auctorem esse. Nam ea, quae in tres partes distraxit, constringenda erant duabus. Primum enim dicendum erat, omnem animi agitationem, sentire, cogitare, loqui, disserere oriundam esse ab certis naturae regulis initiumque habere ab sensuum perceptione: quos cum natura ipsa constituti essent, nunquam errare, contra errorem oriri ex opinione animi ab sensibus segregata — deinde omnem vitae degendae rerumque gerendarum rationem, si probabilem esse vellemus, nasci ex praeceptis atque decretis physicae.

7. Ad extremum Torquatus, quum summas res, quae ad beate vivendum pertinerent, enumeraverit, quoniam homo non sibi solum natus sit sed innatus societati multorum, qui eadem specie atque indole praediti sint — quali cum aequalibus conjunctione plurimum adjumenti afferri ad felicitatem Epicurus docuerit, exponendum suscipit. Errare quosdam ait, qui aut parentum aut liberorum aut propinquorum aut civium societatem maximi aestiment; omnes enim caritates contineri amicitia, rerum ab sapientibus viris comparatarum praestantissima, uberrima, jucundissima. Quod Epicurum quum praeceptis tum maxime vita, factis, moribus comprobasse. In fabulis vero ab ultima antiquitate repetitis vix tria paria amicorum reperiri, Epicurum una in domo magnos et incredibili amore conspirantes tenuisse amicorum greges. Ac tribus modis amicitiae rationem ab suis esse explicatam, ab universis autem ad voluptatem relatam, quamvis varie. Alios enim nullo modo tutius et jucundius vivi dicere quam sub praesidio amicorum; alios timidiores contra convicia adversariorum, ne quid ex voluptate sibi probri occurrat, primos quidem congressus propter voluptatem fieri, tamen quum usus familiaritatem et amorem conciliaverit, etiamsi nulla sit ex amicitia utilitas, tum demum fidelissima caritate teneri amicos; alios denique amicitiam esse foedus sapientium, quorum quum unusquisque per se beatus sit, quanta beatitudinis accessio ex congregatione animorum aequabilitate conjunctorum fiat, esse perspicuum.

8. Ex peroratione Torquati duas tantum res commemorare necesse est; primum nullam esse eruditionem ducit, nisi quae exaudita quasi voce naturae beatae vitae disciplinam adjuvet; deinde multas esse artes, ut musicam, geometriam, arithmeticam, astrologiam, quae quum sensibus diffidant, dum aliquid confirmare velint, ab falsis initiis proficiscantur. Quare haec studia esse futilia, quibus si opera detur, tempus conteri. Quin etiam si verum aliquid inveniant, tamen ea ad beate vivendum nihil afferre. Ergo non Epicurum, quum vivendi artem non minus operosam quam fructuosam persequatur, ineruditum esse, sed eos indoctos, qui puerilia usque ad senectutem tractanda commendent.

Decursa sunt a nobis, quae in primo de Finibus libro disputantur. Vidimus Ciceronem de physicis et dialecticis Epicureorum perbrevem fuisse, de ethicis autem vel ipsum vel per Torquati personam ea attulisse, quae maxime in schola eorum tractari solebant, theologiam prorsus praetermisisse.

Respiciamus paulisper ad ea, quae a Torquato sunt dicta. Ac primum quidem unum vitium est in promptu positum. Omisit Cicero ethicam, quamquam ipse (§ 64) ejus rationem e physicis depromendam esse concedit, ex iisdem ducere. Ab summo bono, quod Epicurei statuerint, incipit, quibus autem in rebus ea, quae illud complecti feratur, voluptas consistat, non uno quodam continuoque cursu disputationis explicat, sed passim variisque locis, ut ab intuenda voluptatis de-

finitione ejusque partibus saepe abducamur ad alias res, velut ad sapientis et stulti imagines, quae duobus longe inter se remotis locis (§ 40—41; 57—64) depinguntur, vel ad virtutum quasi certamen voluptatis comparandae causa institutum. Atque ne his quidem in digressionibus satis constanter versatur. Equidem non offendo, quod eodem loco, ubi de sapientia dicitur, de cupiditatibus sapientia reprimendis et extinguendis exponitur, sed quod ibidem cupiditates dividuntur, haec videtur esse dispositio rerum minus apta. Nam pertinent haec ad eum locum, quo summa illa non dolendi voluptas tractatur. Etenim si aliquid ad indolentiam assequendam necessarium est, haec maxime praeter cetera videtur esse cupiditatum moderatio. Itaque illic inquirendum erat, quae essent genera cupiditatum, quae cupiditates maxime obstarent indolentiae ideoque essent exstinguendae, deinde quae aliquo modo temperandae, denique quae ferendae. Sed gravissimae res adeo sunt dilaceratae et dispersae per totam disputationem, ut earum quasi disjecta membra hic illic colligere opus sit.

Ac mea quidem sententia Cicero videtur hoc fere disserendi modo uti debuisse. Initium erat faciendum, ut id quidem factum est, ab summo bono constituendo, tum de ea re, quae summum bonum afferret, de voluptate ejusque generibus dicendum (de mobili primum, post de stabili), deinde de animi corporisque et in voluptate et in dolore connexione, tum de voluptatis et causis et impedimentis ac praecipue de cupiditatum generibus earumque natura, post de virtutum et amicitiae et quarundam artium, imprimis physicae, ad beate vivendum vi ac potestate, ad extremum, ut omnes, quae tractatae essent, res quasi ex speculo relucerent, illustrandae erant sapientis et stulti effigies.

Deinceps, ut erat propositum, obeunda est libri de Finibus secundi tractatio, ut Ciceronis argumenta cognoscantur decretis Epicureorum adversantis. Sed video, si hoc negotium exhibere vellem, fines commentationi meae hoc loco concessos me esse excessurum. Veniam igitur me impetraturum spero, quod ad ea, quae antecedunt, supplendi causa quaedam adjicio.

Quantum sibi in oppugnandis Epicureis assecutus esse videatur, Cicero ipse ab initio libri tertii, quum Stoicorum de summo bono doctrinam examinandam ingreditur, ad disputationem antecedentem respiciens non sine jactatione quadam profitetur. Perfacile enim dicit sibi certamen cum ista doctrina fuisse, quia nec ii, qui eam probarent, in disserendo versati essent, nec res retrusae atque occultae ab iis tractarentur, quin etiam tam lucidae et manifestae, ut negaverit Epicurus ipse nec argumentandum nec docendum sed modo commonendum et monstrandum id, quod prorsus esset in sensibus positum. Mittatur hoc loco quaerere, quam recte Cicero de suorum argumentorum pondere judicarit, alterum autem hoc, quod illum ab subtiliter argumentando abstinuisse dicit, ne hanc suspicionem excitet, Epicurum eosque, qui eum secuti sint, disserendi artis rudes et imperitos fuisse ipsosque sententiarum suarum defensionem deseruisse, paucis illustretur et ad justum modum redigatur. Sane ille quidem Epicurus praeceptis suis, quae se ab natura ipsa quasi amico suo oracula edenti accepisse jactabat, magnopere confisus est eaque ceteris etiam hominibus ab primo ortu ita insita esse existimavit, ut, quod quisque sua natura sciret, id nulla doctrina egeret sed potius tamquam ex somno uno nutu monituque excitandum esset: tamen si quis hanc scholam, in tanta laudatorum atque, si cui placeat, etiam proclamatorum frequentia, nullum habuisse putarit disertum acutumque patronum omnibus telis eloquentiae et acuminis instructum, is vehementer erraverit. Credulus profecto ac paene stultus sit, qui Epicurum ipso

sono illecebrisque vocis voluptatis hominum greges ex aliorum philosophorum scholis elicuisse inque suos hortos coegisse opinetur. Perierunt longe plurima, quae ipse conscripsit; quae supersunt, ex iis magis elucet, quid docuerit; qua ratione demonstrandi usus sit, minus. At certum est, Ciceronis aetate quosdam fuisse Epicureos, qui disserendi subtilitate omnique eruditione ornati cum ceteris sectis certarent. Scilicet non Latinos dico, quos excepto uno illo Lucretio ingenio et doctrina non praestitisse verisimile est, sed Graecos philosophos. Quos Cicero ipse compluribus libri primi locis leviter significat, quamquam in iis accuratius describendis non moratur. Tamen patet (§ 30, 31) fuisse nonnullos, qui — quum Epicurus, quod ad voluptatem expetendam et ad dolorem fugiendum pertineret, id „sentiri" docuisset, ut „calere ignem, nivem esse albam, dulce mel" nec opus esse exquisitis rationibus — ab sensuum judicio provocarent ad animum rationemque et de voluptatis dolorisque natura insitam in animis nostris inesse notionem quandam contenderent; quin etiam alios, qui ne hac quidem notione naturali contenti essent, sed, ne adversariorum argumentis obruerentur, nimiam in opiniones suas fidentiam caverent et accurate disserendum rationibusque conquisitis de voluptate et dolore disputandum arbitrarentur. Quid porro? Torquatus, quantum amicitia ad beatam vitam valeat, quum exponit, nonne apertis verbis tres rationes distinguit? Unam, ut videtur, ab Epicuro ipso inventam funditusque collocatam in utilitate; alteram, quam posteri et fortasse Ciceronis aequales (cf. I, § 69 „sunt autem quidam") excogitarant, quae initio ex utilitate profecta acquiescebat in sola caritate ab omni commodo aliena; tertiam denique (I, § 70 „sunt autem qui dicant"), quae sapientium consensione conflata continuo festinabat ad posthabitam suam cujusque utilitatem! Quarum rationum auctores sententias suas argumentis quam firmissimis munivisse pro certo putandum est. Accedit, quod alibi quoque apud Ciceronem elegantior quaedam disputandi ars Epicureorum cernitur. Hirzelius enim (l. l.) plane recte judicat, quum duas de diis argumentationes ab Epicureis susceptas esse ex libro de N. D. scripto (I, § 46) colligit, unam iterum ab ipso disciplinae principe, qui deos humana esse specie per πρόληψιν (notione multis sensuum perceptionibus animo infixa) intelligi docuisse dicatur, alteram ab Vellejo Epicureorum in illo libro defensore, quem, quia argumentum quoddam artificiosius inventum addat, dialecticae arti satis facere Cicero ipse concedat (N. D. I, 88). Atque equidem nescio an Hirzelius etiam hoc recte existimet, quod auctorem et doctorem Velleji Zenonem fuisse dicit. Certissimis vero veterum testimoniis idem post Carneadem Academicum inter Epicureos duas sectas exstitisse demonstrat, unam antiquorum et eorum quidem, quibus nihil probatum esse visum sit, nisi quod Epicurus ipse tradidisset; alteram eorum, qui critica Carneadis philosophandi ratione commoti, quum timerent, ne omnia sua in dubitationem vocarentur et labefactarentur, tam acute et tam diligenter philosophati sint, ut sophistae inter Epicureos nominarentur. In hoc numero videntur Zeno ejusque discipulus Philodemus fuisse, qui quanta auctoritate aetate Ciceroniana floruerint, jam supra (cf. p. 8) expositum est. Atque vero hanc recentem scholam secutum esse Lucretium, ingenii et doctrinae luminibus „Grajorum obscura reperta" illustrantem, manifestius est, quam quod opus sit argumentis confirmare.

Sed de his quidem hactenus. Permulta reliquimus non expedita, vixdum inchoata. Haec alio loco tractanda suscipiemus.

Scr. Berolini mense Martio MDCCCLXXIX.

G. Behncke.